



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

16. Alio Argumento probatur nostra conclusio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

SVBSECTIO XVI.

Alio argumento probatur nostra conclusio.

457 **P** Rincipio ergo cum Patre Suarez ex generali ratione causæ secundæ ostendendū à nobis est voluntatem liberam ad suum actum liberum efficiendum, non indigere speciali influxu Dei distincto ab ipso actu, seu actione sua quo ei aliquid ad actionem prærium conferatur distinctum etiam ab eius virtute actiua permanente naturali vel infusa, & quidem hanc esse sententiam graviorum Theologorum patet ex ijs quos Pater Suarez adducit lib. 1. de concursu Dei in opusculis, cap. 6. num. 1. & 2. Nunc autem probatur ratione, quia concursus, qui sit idem cum actione causæ secundæ sufficit, ut omnis effectus creaturæ, omnisque actio eius à Deo ut à causa prima essentialiter pendeat ille etiam, satis est, ut causa secunda sit subordinata primæ, non per accidens, sed per se, & essentialiter ex vi proprietatis imperfectæ, & participatæ, quæ est: ergo necessitas alterius adminiculi, vel motionis prævia in causa secunda receptæ, nulla equidem; ergo non est danda.

458 **D** eclaratur, & virgetur amplius, nam si præter hanc alia Diuina actio necessaria est, interrogo an immediate, & per se attingat effectum creaturæ, vel solum mediate & per accidens, seu ut conditio prævia? at neutrum dici potest; de primo patet, quia per priorem concursum à nobis explicatum influit Deus per se & immediate in effectum creaturæ; ergo superfluum & sine fundamento fingereetur alius influxus distinctus manans ab eadem prima causa, ut talis est, & eundem effectum immediate, ac per se attingens, imo vix posset concipi distinctio inter vnum influxum, & alium, quare in hoc etiam nulla est opinionum diversitas, neque vllus hæc nus Theologorum, aut Philosophorum hoc modo finxit duplicem concursum primæ causæ in effectus creaturæ, & cum ipsimet causis secundis, nam licet aliqui sinxerint omnes effectus causarum secundarum fieri dupliciter à Deo per se, & immediate scilicet, & cum causis secundis, & sola virtute Dei, ac duabus actionibus ex natura rei distinctis, vtrique per se sufficiente, & totali, altera à solo Deo, altera à Deo cum causa secunda, tamen hæc opinio, nec est eorum Doctorum, cum quibus nunc disputamus, neque est probabilis, cum nulla ratione vel auctoritate nitatur, & per se se afferat superfluitatem, & absurditatem; nec denique ad præsentem causam quidquam refert, & ideo in ea improbanda nunc immorari non est necesse.

459 **D** e secundo membro, in quo est difficultas dicendum superest, qui enim ponunt alium actua-lem influxum, & generalem primæ causæ in ipsam causam secundam, præter illum, qui est in effectum ipsius causæ secundæ consequenter dicunt per illum influxum non influere Deum immediate ac per se in effectum causæ secundæ, sed in ipsa causa efficere aliquid prærium, & necessarium ut ipsa agat: Hoc autem prærium quidam eorum applicationem causæ secundæ ad agendum, alij motionem, alij complementum virtutis, quo in actu primo consumatur &c. alij denique determinationem eiusdem causæ ad suam actionem vocant.

Si ergo hanc ultimam determinationem detruxero rationibus, destructæ manebunt reliquæ explanationes, quod sic facio, & primo in causis naturalibus est evidens, quia huiusmodi res ex vi suarum formarum, seu proprietatum naturalium sunt determinate ad vnum, & nullam habent intrinsecam indifferentiam; ergo non indigent noua forma, aut novo impulsu, quo determinentur ad suos effectus, quia enim determinatione superaddita indiget calor, ut calefaciat potius, quam frige faciat, vel aliquid aliud efficiat, cum ex se sit ita determinatus, ut ad illum effectum sit potens, & non ad alium.

461 **D** ices, interdum has virtutes esse indifferentes, vel potius eminentes ad plura, & indigere determinatione, ut vnum potius, quam aliud efficiant, ut sol, & si quæ sunt aliæ similes causæ.

461 **S** ed contra, quia hoc in primis non pertinet ad subordinationem causæ secundæ respectu primæ, quam nunc inquirimus, sed ad speciales alias causarum conditiones.

461 **D** einde dicitur huiusmodi eminentiam conuenire aliquibus causis superioribus, seu vniuersalibus, quæ nunquam possunt facere huiusmodi effectus sine adminiculo aliarum causarum, quibus ad hos potius effectus quam ad illos determinatur, siue aliæ causæ efficientes etiam sint, siue tantum materiales, hoc enim modo determinatur sol, vel aliquid aliud astrum, ut cum altero coniunctum efficiat talem effectum, & coniunctum cum alio efficiat alium, sic etiam sol exsiccatur, & liquefacit ceram, & ad eas actiones determinatur ex diuersa materie dispositione.

461 **N** eque in his effectibus naturalium causarum invenitur maior indifferentia, neque contingit vnquam (physice loquendo) indifferentiam vnius causæ non satis determinari ad vnum ex consortio aliarum, dico autem physice loquendo, quia cogitatione fingi potest occasio, in qua causa naturaliter agens, sit quodam modo suspensa, ut neque possit simul omnes, aut plures effectus facere, quibus æque accommodatur, nec possit ad vnum potius, quam ad alium determinari; vulgare exemplum esse solet de lapide perfecte plano æque perpendiculariter cadente super vitrum perfecte planum, & de particula ignis perfecte circulari posita in centro terre; sed hæc relinquamus philosophis, nihil enim ad rem præsentem refert, aut gratis concedere in his eventibus nullum effectum sequi, propter impedimentum, & indeterminationem causæ, aut certe dicere tunc determinari causam secundam à prima non ex vi generalis subiectionis causæ secundæ, sed ex peculiari indigentia talis causæ, pertinet enim ad generalem providentiam causæ primæ, ut secundis indigentibus subueniat, & adhuc in eo casu licet non repugnet determinatione fieri per aliquid prærium superadditum causæ (nam facili negotio potest Deus maiorem impetum in hac parte imprimere, quam in alia, vel vi agendi intendere respectu huius effectus determinati) non tamen est hic modus necessarius, nam sola determinatio Diuini concursus ad hunc effectum, potius quam ad alium, est sufficiens, ut statim in simili exemplo declarabo.

461 **D** ici enim iterum potest, licet non indigeant causæ secundæ determinatione prævia primæ causæ ad talem effectum, in specie, tamen indigere illa ad hoc individuum potiusquam aliud producendum, calor enim, ignis v.g. licet sit determinatus ex se ad producendum calorem, non tamen hunc calorem, vel hunc ignem, & ideo indiget

diget prædeterminari à Deo, vt hunc determinate producat, & hæc necessitas generalis est in omnibus causis secundis, etiam in voluntate libera quia etiam si possit nostra voluntas proposito aliquo obiecto, se ad amandum vel odio habendum illud determinate tamen si amat quod hoc actu in individuo potius quam alio amet, non est positum in eius libertate, sed aliunde prouenit, scilicet ex prædeterminatione Di-

466 ^{vinæ.} Respondemus tamen in primis, difficultatem hanc obijci nobis non posse ab his auctoribus, qui Sancti Thomæ doctrinam nobiscum profitentur; nam solent huius scholæ magistri docere hos effectus indiuidui, vel à materia signata quantitate, vel à quantitate ipsa, vel à subiecto, in quo & à quo fit actio cum his circumstantiis scilicet hoc tempore loco &c. iuxta quam doctrinam in præsentī difficultate non oportebit confugere ad determinationem primæ causæ; sed sicut dicebamus causam, quæ habet virtutem eminentem ad plures effectus specie distinctos solere interdum determinari ad vnum potius, quam ad aliud ex dispositione passī, ita in præsentī dicitur causam ex se indifferentem ad indiuidua vnius speciei determinari ad hoc indiuiduum producendum ex eo quod in subiecto, his dispositionibus affecto, ac cum his conditionibus, ac circumstantiis operatur.

467 Sed quoniam hæc responsio licet valde probabilis sit, magnas habet in Philosophia difficultates; admittimus modo (sive id verum, sive falsum sit) determinationem causæ secundæ quoad hanc partem pendere ex voluntate sola primæ causæ; negamus tamen recte inde colligi hanc determinationem fieri à causa prima per aliquam actionem præuiam circa causam secundam, aut ei aliquam rem imprimendo, per quam eius facultas actiua ad hoc indiuiduum limitatur; Primo quidem, quia sola determinatio diuini concursus sufficit ad hanc determinationem. Probat, quia causa secunda nullum indiuiduum potest producere sine consensu Dei; ergo si Deus hic, & nunc statuat concurrere cum hac causa v.g. cum hoc igne ad producendum hunc calorem in individuo, & non alium illa erit sufficiens ratio cur illa causa illum eff. etiam singularem producat potius, quam alium: ergo ad hunc finem non est necessaria præuia effectio alicuius qualitatis vel entitatis in ipso igne seu causa secunda, vt ab illa determinetur.

468 Secundo, quia vix potest intelligi quomodo aliter hæc determinatio fiat addendo ipsi causæ rem aliquam, duobus enim modis id excogitari potest, primo per modum impimenti, seu resistentiæ, quia nimirum id quod Deus addit causæ secundæ impedit illum, ne alia indiuidua illius speciei possit producere, & solum relinquit illam expeditam ad vnum efficiendum, & hic modus per se est incredibilis, cum quia non apparet quomodo illa qualitas, seu entitas possit ligare virtutem agendi, ne alios effectus producere valeat, quia nec potest illi resistere, cum non habeat eum illa oppositione; nec vna oporetur ad destructionem alterius, nec etiam illam diminuat, aut tollat aliquam conditionem necessariam ad agendum, tum etiam quia si res aliqua additur, & illa est vnica, & eiusdem rationis, non est cur sit illi naturale impedire potius effectum quorundam indiuiduorum vnius speciei, quam aliorum, vel (quod mirabilius est) impedire omnia præter vnum; addo hunc modum

etiam esse insufficientem in causis liberi, in opinionione Doctorem, cum quibus disputamus, quia ex vi huius impimenti non habebit causa secunda determinata quoad exercitium ad illum singularem actum efficiendum, ad quem manet libera, & expedita, cum tamen ipsi velint prædeterminationem, quoad exercitium debere fieri à causa prima.

469 Aliter enim potest hæc prædeterminatio excogitari per modum additionis, & augmenti virtutis actiue, quia nimirum illa qualitas, seu entitas, aut quouis modo appelletur addit causæ secundæ quandā speciem vim efficientem huius solius indiuidui in illa specie, quæ ita est efficax, vt trahat secum causam secundam ad efficiendum illud potius, quam aliud; nam quia ex entitate superaddita crescit virtus ad efficiendum hoc solum indiuiduum, inde fit vt virtus actiua potius se exerceat in hoc indiuiduum, quam in aliud, & quia non possunt plura fieri simul, ideo alia non efficit, sed hic modus in causis liberis habet difficultates, & grauissima incommoda statim tractanda, quia cum causa libera ex se sit indifferens non solum ad indiuidua, sed etiam ad speciem actus, quia potest velle, & nolle non potest illo modo determinari ad indiuiduum, quin etiam determinetur ad speciem; vnde necesse est, quod talis determinatio tollat libertatem quoad specificationem; quod si etiam determinet ad exercitium tollet simpliciter vnum libertatis, de causis autem naturalibus, si quis ita sentire voluerit, parum nostra refert, quamvis sine causa, aut necessitate vlla multiplicet res & actiones minime necessarias, & eligat modum intellectu difficillimum, nihilque conferentem ad efficaciam causæ primæ; nam si ipsamet potest determinare causam secundam solum limitando suum concursum ad tale indiuiduum, & nihil aliud agendo maioris potestatis, & domini hoc esse videtur, quam id facere multiplicando actiones.

470 Accedit quod nulla res, quæ vim habet actiuam intra aliquam speciem est ex natura sua determinata, vt solum possit agere vnum indiuiduum illius speciei, vt patebit discutendo per omnes virtutes actiuas, quas nos experimur: ergo si illa qualitas quam Deus addit causæ secundæ igni v.g. est virtus actiua caloris, siue instrumentalis, siue quouis alio modo esse fingatur ex se non erit determinata ad vnum indiuiduum illius speciei, sed indifferens ad plura; quomodo ergo ipsa determinabit causam secundam, cum eademmet indigeat alia determinatione, quod si quis mordicus dicat esse speciale huic entitati, vt suam efficaciam habeat determinatam ad vnum indiuiduum, fateor non posse demonstrari hoc esse impossibile, aut implicare contradictionem, tamen cum non possimus nos Philosophari, nisi ex virtutibus actiuis, quas experimur, & aliqui nulla ratio nos cogat ad admitendum tale genus virtutis actiue, immerito, & præter omnem convenientem Philosophandi rationem fingeretur, præsertim cum necessarium consequenter sit dicere, quoties variatur actio causæ secundæ, variari etiam hanc entitatem, quam Deus in illam præfundit, itaque quoties nouum lignum adinuenitur igni toties necesse est vt Deus nouam qualitatem, aut nouam rem determinantem ignem ipsi conferat, & similia possent facile inferri, quæ sine causa quilibet Philosophus concederet; sed de naturalibus causis hæc sufficiant, quæ non erunt inutilia ad facilius intelligenda ea, quæ de liberis dicenda sunt.

471 Ex his ergo recte concluditur voluntatem nostram ex sola generali ratione causae secundae non indigere hac praedeterminatione, nisi in ea aliquid proprium, & singulare ostendatur, ob quod illam requirat; quod sane non erit facile ostendere, quia sicut in ceteris causis naturaliter agentibus; ita & in voluntate sufficienter saluatur subordinatio eiusdem voluntatis ad Deum, ut primam causam per dependentiam essentialem, quam ab illo habet non solum in esse, sed etiam in operari ratione concursus necessarij superius explicati: ergo ex vi subordinationis non est necessaria alia motio diuina praedeterminans: ergo per se loquendo non est necessaria ad actum liberum voluntatis. Probatur haec vltima consequentia, quia non est minus potens vltima ad exercendos actus sibi connaturales, quam sint aliae causae naturales ad actiones suas, nec potest singularis aliqua ratio in voluntate inueniri, ob quam haec determinatio ad voluntatis actus necessaria sit potius, quam actus reliquarum causarum.

SUBSECTIO XVII.

Argumenta aduersariorum ponuntur & soluntur.

472 Argumentum aduersariorum sic se habet, quod euidentissimum, & efficacissimum asserunt: a causa, inquit, indifferente, & indeterminata, non potest definitus prodire effectus: sed voluntas positae omnibus requisitis &c. manet omnino indifferens, & omnino indeterminata: ergo ut sic non potest aliquid opus determinatum operari; unde oportet ut ab aliquo prius saltem natura quam aliquid definitum opus eliciat, determinetur, quia implicat eandem facultatem ex se indifferentem, se ipsam determinare, quia determinatum, & indifferens contradictionem involunt.

473 Verum tamen ut bene aduertit Pater Suarez, haec ipsa ratio, in qua maxime hi auctores nituntur, eorum sententiam falsam esse aperte declarat, cuiusque rei declaratio nostram maxime assertionem confirmat, clarissime enim supponunt, qui ita argumentantur totam nostrae voluntatis indifferentiam passivam esse & non activam, & negativam potius, quam positivam; nam si voluntas ut est prior suo actu, ita est indifferens ut non possit se ipsam determinare etiam positae omnibus praerequisitis ad volendum, nisi ab alio extrinseco agente determinetur: ergo illa indifferentia tantum passiva est ad recipiendum nimirum hanc, vel illam determinationem pro alterius voluntate, & arbitrio.

474 Probatur consequentia, quia respectu talis determinationis voluntas solum passive se habet, & non active, ut praedicti Doctores docent, & quidem consequenter; nam existimant hanc determinationem antecedere ordine causalitatis, & naturae omnem actum voluntatis, ex quo necessario fit hanc determinationem non effici a voluntate, quia omnis efficientia voluntatis est ab hac determinatione, quia ante illam dicitur esse inepta ad agendum aliquid eo quod sit indeterminata, & indifferens; item quia si determinatio esset effectiva a voluntate; ergo esset ab illa ut indifferente; ergo eadem ratione ipsum velle licet esset determinatum posset esse a voluntate, ut indifferente, imo iuxta veram Philosophiam, voluntas nihil per se, & immediate efficit, nisi actum volendi,

vel nolendi, sicut in vniuersum haec potentia animae proxime solum efficiunt suos actus secundos: sed illa determinatio, ut antecedit in voluntate iuxta sententiam, quam impugnamus, non est actus voluntatis, sed aliquid prius; fit ergo a solo Deo, & non a voluntate: ergo indifferentia voluntatis respectu talis determinationis est tantum passiva. Et similiter sequitur esse potius negativam, quam positivam. Dicitur enim voluntas indifferens, quia est capax vtriusque determinationis, & ex se neutram habet in actu; sed ad summum in potentia receptiva; quomodo materia dicitur esse indifferens ad varias formas, non tamen erit indifferens positue per actum eminentem, seu virtuale. Est autem omnino falsum voluntatem esse indifferentem tantum hoc modo; Nam inde aperte sequitur voluntatem non esse liberam non solum quoad vsum, sed nec quoad facultatem ipsam operandi, ut in secundo puncto proposito ostendimus. Procedit ergo ratio illa ex falso principio.

Quamobrem possumus nos hunc in modum 475 rationem retorquere potentia quae de se est positiva, & active indifferens, tanquam domina sui actus potens est sua intrinseca virtute cum generali concursu primae causae se se ad suum actum determinare; imo in hoc consistit eius intrinseca vis, & perfectio: ergo non indiget extrinseca praedeterminatione praevia ad actum ut operetur. Quia potius haec vel omnino repugnat, vel certe non est consentanea intrinseco modo operandi talis facultatis consequutio per se nota est, & antecedens adeo videtur clarum ex terminis, ut non indigeat probatione, sed ut res sit euidentior explicandum amplius est facta quadam comparatione huius efficientiae voluntatis ad efficaciam causarum naturaliter agentium, quae videntur etiam habere indifferentiam quandam per eminentem vim effectivam plurium effectuum, vel actionum qualem in sole, vel in intellectu ipso considerare licet, cum tamen haec facultates non possint proprie se se determinare ad suos actus, sed a natura sint determinatae. Est ergo notanda differentia, quod in his agentibus naturalibus non est facultas indifferens positae omnibus requisitis ad agendum, sed potius in hoc habent naturalem determinationem, ita ut sol necessario ageret tota sua eminente virtute, si simul haberet materiam susceptivam totius effectus, cuius ipse solus potest esse causa sufficiens, quod si nunc vnum determinatum effectum facit potius, quam alium: solum est quia illi applicatur subiectum aptum ad illum effectum suscipiendum, & non alium: eo tamen subiecto applicato tam necessario agit, sicut ignis calefacit; idemque contingit in qualibet alia causa naturali, siue determinatio eius proveniat ex materia, siue ex alia concussa ut supra tetigi; & ideo haec causae non dicuntur proprie indifferentes, sed aequinoxae, vel vniuersales.

Itemque reperitur in intellectu, aliisque animae potentijs, quae naturaliter agunt; solum est in quibusdam earum quaedam subiecta ad voluntatem in vsum, & exercitio suorum actuum, quorum ipsae non sunt Dominae, & ideo illae non possunt dici proprie ex se indifferentes, nisi passive. At voluntas est indifferens active, & tanquam Domina sui actus, quia si in illa non reperitur haec indifferentia in homine absolute non inveniatur, quia nulla est alia facultas, per quam ei conveniat, & ita non erit homo liber, nec Dominus suorum actuum, quod est contra fidem. Quia ergo voluntas non imperfecte tantum, sed perfecte